



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 3. Senatus Gallici sententia de hoc foedere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

cum XII. Franciæ, & Ferdinandum Aragoniæ Reges afficiebatur, totus in eo erat, ut cum tribus hisce Monarchis armorum societatem pacifceretur.

Sæcul. XVI.
A C. 1508.

§. II.

Fædus contra Venetos a Julio Galliarum Regi propositum.

Præprimis igitur ad Galliarum Regem recurrerat Pontifex, missio ad eum Carpiensi Comite, qui hoc negotium perficeret. Proponebat in regio Senatu nova hæc foederis consilia Cardinalis Auscitanus, cui etiam Cardinalis de Ambasia primus Regis Minister, Venetis alias jam infensissimus, strenue suffragabatur. Præcipuum foederis hujus punctum id erat, ut omnes, qui huic armorum societati accederent, pro viribus mutua sibi suppeditarent auxilia, donec cunctæ, quas Veneti usurpasse dicebantur, ditiones vindicatæ essent.

Bellefor. lib. 6. cap. 16.

§. III.

Senatus Gallici sententia de hoc fœdere.

Prælegebatur itaque hic articulus in Regis Senatu, & omnium propemodum suffragiis acceptabatur, ac unus ob-

A 2 bat

Sæcul. XVI.
A.C. 1508.

bat Stephanus Poncherus Parisiensis Episcopus, qui hæc consilia evertere conatus est, prætendens, Gallis summe proficuum esse Venetorum amicitiam, ceterorum vero societatem Franciæ omnino exitiosam. Hic Episcopus communem Senatorum consensum non nisi abjectæ adulationi, qua primo Regis Ministro obsequi certabant, adscribebat; censebat enim, quod servili quodam Regis voluntati inserviendi studio ducti fuissent, cum tamen haud alio ex fine ad Senatorum dignitatem evecti essent, quam ut Regi, quæ justa censerent, consilia suggererent, ab iis vero, quæ iniqua sunt, eundem absterrent. Palam quidem erat, Episcopum hunc recte sensisse, sed prævalebat ceterorum auctoritas, ac ipsemet Ludovicus Rex æque ac ejus Minister in Venetos commotus, eos vexandi occasionem sibi oblatam avide arripiebat.

§. IV.

*Cæsar, & Arragoniæ Rex hujus
fœderis socii.*

Raynald.
ann. 1509.
num. I.

Cum vero Cæsarem quoque fœderis hujus socium optarent, idcirco Oratores ad eum decreverunt, atque, ut eò certius illum ad suas partes pertraherent, dextre veterum, quibus olim cum Venetis